


Gottlob Friedrich Seligmann Joachim Lehment

Exercitium Anticartesianum. i. e. Theses nonnullae contra Ea, quae sub initium Philosophiae In Dubium Vocari Posse credit Renatus Descartes ...


Rostochi[i]: Keilenberg, 1683

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73061249X>

Druck Freier  Zugang



RU. phil 1683.



L. F. S.
EXERCITIUM
ANTICARTESIANUM.

i. e.
Theses nonnullæ

contra

Ea, quæ sub initium Philosophiæ
IN DUBIUM VOCARI POSSE

credidit

RENATUS DESCARTES,

Superiorum Indultu

publicè exhibitæ,

&

sub PRÆSIDIO

DN. Gottlob Friedrich Seligmann/

Hic ROSTOGH. METAPH. ET PHYS. PROF. FACULT.

PHILOS. h. t. DECANI ET ELECTI CATHEDRAL. TEMPLI

ARCHIDIACONI; LIPSIE VERÒ ADHUC COLLEGIATI

DUCALIS,

DN. FAUTORIS ET PRÆCEPTORIS S. honorandi,


defensæ

JOACHIMOLEHMMENT, Stadts-Bremer sc

Ad d. III. MARTII, A. MDC. LXXXIII.

In Templo Johann. Auditor. Major. vicario.

Rostoch I, Typis Friderici Keilenb, Acad. Typogr.



V I R I S
QVOS. EXTRA. DUBIUM.
INDUBITATA. THEMIDIS. SCIENTIA
ORNATISSIMOS. PRÆDICAT. ROSEFUM

i. e.

TRIGÆ

CLARISSIMORUM. JUSTITIÆ. DEFENSI-
TANDÆ. PATRONORUM.
NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS.
ATQVE. CONSULTISSIMIS.

DNN.

DN. JOHANNI BARN-
STORFFIO, U. J. D.

DN. ALBERTO WILLE-
BRANDO, U. J. D.

DN. JOHANNI JOACHI-
MO TIELCKEN, U. J. L.

DN. HOSPITIBUS. PATRONIS. EVERGETIS;
ATQVE. MOECENATIBUS.

HAS.

DE. CAUTE. DUBITANDI. MODO. THESES.
CONTRA. RENATUM. DES. CARTES.
NIMIS. POMPOSE. DUBITANTEM.

IN. IN DUBITATUM. ANIMI. CHARACTEREM.
MINUS. DUBITANTER. OFFERRE,

VOLUIT. DEBUIT.

JOACHIMUS LEHMENT,



Q. B. U.



Um contra RE-
NATUM DESCAR-
TES, novum quidem, sed
non adeo ignotum ampli-
us in Philosophia hominem,
nonnulla meditatur, in-
mentem sub initium venit,

quam ipse quoque inter fundamentales habet
(*) Regula: *Ingenio pollere haud sufficit, sed eodem recte uti palmarium est.* Ut enim ingenii acumen quidem non facile denegaverit quispiam subtili isthuc Viro, de quo etiam apud Excellentiss. Dom. D. ALBERTI (β) insignia extant, si *Mathematica* studia spectes, ex *Goliō Marefioque*, non sine *adplausu* aliorum dicta, testimonia: ita ejusdem tamen ingenii abusum, in ipso per non pauca satis conspicuum, qui diffiteri velit, nae is contra veritatem haud parum peccasse, merito videbitur. Nimirum, quem

indis-

MILIT. BIBL. OSTRECKE
VOMIT. DEHN.
JOHANNES LEHMANN

indixisse bellum omnibus, ne iis quidem exceptis, quorum sententias Philosophicas Theologia corroboraret defenderetque (γ), in suis s. meditationibus s. etiam principis advertere est, quid aliud præstare eundem potuisse cogitemus, nisi, ut vestigia reformare, nova insinuare maximoperè conaretur. Cujus etiam conatùs vestigia partim in dedicatione meditationum (ubi tales esse rationes suas scribit, ut non putet ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores invenire unquam possint) partim in adpendice Notarum (ϵ) ad programma Regii, (ubi validiora sibi, quam ab ullò ante ipsum proposita sint, argumenta tribuit) obveniunt; ad quæ ipsa pridem respexit dissertationis nostræ de casu oblati in sapientiam versis (ζ) corollarium secundum. Quis verò non in his jam jam agnoscat ingenii abusum?

(a) Dissert. de Meth. p. 1. quam Regulam commendat quoque; Experientiss. Dominus D. Major in Genio errante c. 3. (β) Disp. de Cartesianism. c. 1. §. 2. (γ) loquente iterum laudatiss. Dn. D. Alberti c. 1. §. 4. conf. §. 16. seqq. (δ) leges verba Parenthesi inclusa ferè in medio Dedicat. lat. 3. (ϵ) post Responf. VI. p. 189. (ζ) habitavit fuit Disp. hæc hic Rostoch. Anno 81. 19. Mart.

II. At verò etiam ulterius nunc progredi, illudque medium per quod assensum aliorum sibi procurare intendit (γ), contemplari paulò penitius lubet

libet. Estque id *dubitandi consilium*, cui omne
fere Philosophiæ suæ fundamentum superstruxit.
Hinc *prima* de primâ Philosophiâ *meditationis*
Objectum facit ea, quæ in dubium revocari pos-
sunt (9); hinc principia Philosophiæ à dubitandi stu-
dio orditur (10); hinc deniq; sine dubitationibus nihil
unquam firmum & stabile in Philosophiâ statui posse,
sibi persuadet; adeò necessarias eas esse, existimat
(11). An agat & loquatur in his per omnia ex vero
satisve benè, pro temporis & chartæ ratione,
brevibus inquiramus.

(9) vid. Dnm. D. Albert de Cartesian. c. 1. §. 5. & 9. alibi-
que (9) de primâ Philos. p. 5 (10) verba §. 1. part. 1. sunt:
non aliter videmus liberari posse quàm si de iis omni-
bus studeamus dubitare &c. (11) Resp. IV. p. 135.

III. Monemus tamen in antecessum nos eò
ipsò, quando contra Cartesii Dubia, quibus Philo-
sophiæ suæ sub exordium inhæret, disputamus,
non statim quamlibet dubitandi rationem ex Phi-
losophiâ rejectam velle. Nam quem fugit, quò
locò ipsi sit Aristoteli dubitatio? Est opera, inquit,
pretium aliqua facultatis habere volentibus, benè dubi-
tare (12). Si enim certa veritatis cognitio est, eorum, quæ
dubitabantur, solutio, dubitationes ipsas notas esse
oportet, pariter, ac is, qui nodum solvere cupit, im-
plicationes ejusdem cognitivas habere debet (13). Indeque
& Du Vallii Analysis in hunc Aristotelis locum,

ita differit: *Orditur autem Aristoteles ab infigni eoque generali documento, quod scilicet in quâlibet quaestione & controversiâ oporteat prius bene dubitare, i. e. proutrâque parte, affirmante scilicet & negante, rationes diligenter examinando, quaestionem ambiguum facere. Deinde post dubitationes bene expositas, quaestionem clare concludere. Certa enim cognitio, quæ dubitationem sequitur, est solutio dubitationis.* Du Vallio Scainû jungit & Fonseca Heereboordus (v) quorum in (uti & aliorum (z) plurium) verba huc adponere haud vacat. Sanè quidamna credulitatis non in praxi vitæ (o) solum, sed ipsarum etiam scientiarum indagine curatius attenderit, requiri quoque à veris & probatis Philosophis promptam, in quibuslibet præcipuè controversiis (τ), dubitandi peritiam, non mirabitur. At

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

(λ) L. 3. Metaphys. c. 1. (μ) Ita in compendio exhibet Aristotelica huc facientia Cl. Niemeier. apud Helmfstad. Philos. prim. Prof. in Nucl. quem edidit Metaphys. Aristot. L. 3. (ν) Hic enim in h. Aristot. l. integrum disput. conscripsit, quæ est volum. II. 43. p. 322. (ξ) videri hic potest Celeb. Rudrauff. diss. de Libertat. & Dubitat. Philos. Add. sub. Cl. DONATI. t. t. Facult. Philos. Adj. hod. Prof. Witteberg. Præsidio dissert. de
Dubitat

Dubitat. Ao. 72. hab. (v) vid. Becm. Moral. c. 4. §
19. (x) vid. hic adductos ex Heereb. ap. Heereb. c. 1.

IV. Quam autem & quomodo fines illos trans-
ilierit Cartesius, dum speculamur, incident simul
aliqua, quæ in clausulâ harum Thesium veram du-
bitandi rationem vel tribus enunciabunt. Jam,
missis aliis, ad rem ipsam accingimur, notamus-
que circa ea, quæ in dubium vocari posse, sub
initium Philosophiæ ille credidit I. Modum pro-
ponendi; utpote qui anima velut & forma du-
bitationis Cartesianæ est (e). In hoc verò iterum
ad duo oculos convertimus: alterum est forma,
sub quâ, alterum pompa cum quâ, dubia isthæc
proponit. Quod ad illam attinet, placuit ipsi per
Meditationes procedere, hujusque propositi ra-
tionem exhibet in Præf. ad Lectorem his ver-
bis: In Meditationibus illas ipsas cogitationes expo-
nam quarum ope ad certam & evidentem cognitio-
nem veritatis mihi videor pervenisse, ut experiar, an
fortè iisdem rationibus, quibus ego persuasus sum,
alios etiam possim persuadere. Sed, num Philoso-
phi labor est, persuadere velle? Aliud sanè Gassen-
di iudicium (o) requirit; Annon, inqvientis,
futurum fuisset magis & Philosophico candore &
veritatis amore dignum, res, ut se habent, & bonâ
fide ac simpliciter enunciare, quàm prestigiarum ex-
peri

IBVP

periri ac ludificationum objectamenta? scilicet lin-
quendæ Oratoribus erant persuadendi artes
& agendum hic, quod Philosophum dece-
bat; cuius officium est, asserta demonstrare,
sicque non persuasionem, sed certam scientiam in-
generare Lectoribus (r). Quem fructum an in-
dubitato sperare abs Meditationibus suis potu-
erit Cartesius, per ea, quæ ipse de iis iudicat (*non
omnium captui accommodatas esse, futurum ut à
multis percipi (v) non possint &c.*) liceat ambige-
re. Ceterum urgere etiam præ aliis animus est
exceptionem, quam velut prævisam declinare,
quasi voluit: *Dicit forte aliquis, ita (φ) loquitur,
me istas falsas opiniones (abs quibus sumpterat me-
ditandi Exordium) retulisse non tanquam aliorum,
sed tanquam meas.* Hunc enim nodum tamen si
facile expediri posse arbitratur, nondum tamen,
quod sincerè fateor, mihi satisfacit. *Verum, sic
respondet, quid hoc refert? quandoquidem in eodem
libro, in quò ipsas retuli, omnes refutavi; provocatq;
simul ad libri titulum, qui demonstrationes de exi-
sentiâ DEI promittat.* Respondeo ego: multum
refert nihilominus, Renate, saltem sub initium
talia sibi vendicasse videri, quæ revera abs nemi-
ne in dubium vocari poterant (x). *Quis autem ex
hâc, ut sic loquar, ad appropriatione sententiarum,
quam*

quam inferit, quò porrò rem excusas, *Meditationum stylus*, aliud evicerit, quam, certè eousque quidem, donec primum verum inveneris, isthæc vere Tibi dubia adparuisse: præsertim quando dubitationem aliis in locis (ψ), expresse facis *medium, ad clariorem veritatis cognitionem assequendam*. Unde & altera, quæ abste reponitur, ratio corrui: quòd *librum componens, non ignoret, dum primas ejus paginas exarat, quid in sequentibus demonstrandum susceperit*. Demus, uti Meditationes finales dari postulant, non alium Tibi scopum fuisse propositum, ac prius afferre dubia omnia, quæ circa principiorum notitiam moveri possent, eademque deinceps refutare; satius sanè fuisset scapham vocasse scapham, ac quælibet distinctè ut certorum adversariorum dubia proposuisse ac resolvuisse. Neque enim schema sceptici induendum erat ei, qui, seria seriò acturus (ω), nominari scepticus volebat. Ecclesiastæ locus, unde tibi tertia ratio huc non facit, in quò quippe vanitates cogitationum humanarum, velut, sibi relictæ & externa spectantes, ex verò habent (nec enim Salomo iis destitutus vixit, nisi hominem exuisse dicendus est) referuntur & repudiantur. Ipse præcipuè versus prior, qui adducitur (α) si interpretes conferas, nihil planè in se continet, quò cum Tua meditatio ullâ ex parte comparari mereatur: Nec per eosdem omnes alterum adeò rectè allegas.

(ϵ) Alias enim æquè posset vocari Socratica, Platonica, Verulamiana &c: uti, si rectè memini, Excell. Altorphenf.

B

phy.

Physicus & Mathematicus, Du. J. C. Sturmius in disp. de
Cartes. egregie monet. locum allegarem, si ad manus esset
ipsa differtat (σ) extat hoc obj. V. in Med. 1. p. 4. ludificatorem
urget dein ipse Gass. iisd. obj. in. Med. 2. (τ) tales etiam de-
monstrationes superius jactitavit; jactitatque locis aliis,
vid inprimis præfat. principior. ad interpr. Gall. (υ) hæc
sunt ipsissima verba ejus in dedicat. Meditat. lat. 3. (ϕ) legun-
tur ist hæc in adpend. Notar. ad prog. Regii p. 190. (χ) Inde
ipse dubitationes vocat sub finem meditationum hyper-
bolicas Med. VI. p. 246. (ψ) Vol. II. Ep. 10. in quâ mentem
debuisset longè cautius eloqui, si ab adpropriatione ullâ
(ut denuo hanc vocem adhibere liceat) pronunciari liber
voluisset. (ω) Ita enim ad Gassend. scribit Resp. V ad. obj.
in 2. Meditat. p. 5. 7. *fingis, me ludificari. ubi. serio ago.* (α)
est 24. c. 2. confer. Vinariens. in eund. l.

VI. Ut cunq; igitur protestetur **CARTESIUS** (β)
à suspitione tamen dubiorum, sub initium Philoso-
phiæ haud omninò improbatorum, penes permultos
profecto, quod paucis penetrare meditationes li-
ceat (γ), liber non est. Inprimis si formulas, *summo-
vendi ex animò omnem cognitionem, nunquam confidendi
semel decipientibus &c.* (de quolibus paulò pòst) con-
feramus. Ad pompam proferimus pedem, sub quâ
dubitationem instituit. Eam verò reprehendimus,
ab incommodo quod gignit, quod ve ipse Cartesius
dissimulare non potest. Expositurus enim causam,
cur vereatur ne à multis satis percipi non possint
meditationes, allegat precipuè amplitudinem; quia,
inquit, *longiusculæ sunt & alia ab alijs pendent* proin-
si

si pompam reseculisset, facilius intellectæ à Lectō
ribus fuissent. Idcirco Gassendus etiam inter ea,
quæ Philosophico candori respondere non vide-
bantur, ambages retulit, ac expresse iudicat, quod
tanto apparatu non fuisset opus Cartesio (ε). Nimirum,
huc tandem omnia redire debebant. *Ego etiam-
si dubitem, cogito tamen E sum.* Ad hanc verò po-
sitionem (aut quocunque nomine (ζ) adpellare
primum istud inventum velit) eruendum aut o-
stendendum an requirantur tanta præparatoria,
valde dubitamus. Quam ob rem 2. à non neces-
sario taxamus pompam illam: inque hoc, si re-
ctè quidem memini *Excellentissimum Sturmium*
sequimur (η), qui etiam exin, nisi fallor, non necessa-
riam isthanc pompam nuncupat, quod cum sce-
pticis ejusmodi & extremè dubitantibus homi-
nibus nullibi nobis amplius res sit. Licet enim
Atheos, etiam ad tempus speculativè tales, ne-
gare nolimus (θ), tales tamen ullibi existere ho-
diè non opinamur, qui omnia vocent in dubium.
Quid opus ergò erat eousq; dubiorum progredi,
ut nec antiquorum scepticorum somnia omitte-
rentur, sed ex orco quasi revocarentur. Unde
3. à periculo arguere istanc dubitationem integrum
nobis erit. Observat (ι) ipse Cartesius *duo esse homi-
num genera, quorum neutri sua Methodus pompo-*

sa convenire possit. Alterum est plus aequo propriis
ingeniis confidentium, nimisque celeriter judicantium:
alterum est diffidentium nimis & propriò ingenio
nihil investigantium. Illi, si dubitare tam multis
incipiant, recedantq; velut à trita viâ, non facile, quæ
rectius ducit, semita semper insistent, sed vagi potius
& incerti in reliquam vitam aberrabunt; hoc ipsius
Cartesii de iis iudicium; hi verò cum sequantur
saltim præeuntes, hæere multo facilius vel in
mediò cumulatorum dubiorum poterunt & sic per
pompam illam utrisque ad perpetuum scepticis-
mum non difficilis patefiet aditus: quibus omnibus
succurrere, breviter indicatò unde totum Philo-
sophiæ curriculum inchoandum esset, & dein
monstrato, quò, verà ponderatione rationum,
utriusque partis præviâ, sententiarum certitudo
impetrari possit, licebat. At enim, homo ille (ver-
ba Dn. D. Alberti (*) recito) inter Philosophos prorsus
novus sed tardius natus, occupata inveniebat omnia:
ut ergo locum sibi aperiret, evacuare aliquorum
animos annisus fuit; huncque in finem ipsi nata est
dubitationum pompa.

(β) Conferantur nunc verba ad pend. sapius allegata p.
190. & plura per omnes ferè responson. (γ) ceu supra
jam monitū est ex ejs ipsius locis (δ) Meditationum de-
dicat. lat. 3. sub fin. (ε) Responf. V. p. 4. in Medit. sub. fin.
(ζ) Enthymema enim esse non vult. vid. Resp. ad obj.

2.

2. p. 74. (7) disp. de Cartes. quam supra dixi ad manus
non esse, memini tamen me isthac in ea legisse. imò
in disp. & Cas. oblat. sub Thes. 1. allegasse. (8) quomodo
asserat Dominus D. Scherz. vid. syst. L. 2. §. 2. (9) dis-
sert. de Meth. p. 13. (x) Disp. de Cartesianis. c. 1. §. 5.

VII. Atque hæc de proponendi modo impræ-
sentiarum dicta sunt, tanquam primo, quod cir-
ca Cartesii dubia, quæ sub initium Philosophiæ
idem retulit; notare suscepimus. Festinamus ad
II. i. e. *Formulas quasdam*, quibus prudenter minus
usus est Cartesius. Atque hic incidit confestim
dubitationis vocabulum, quod infeliciter adhibuisse
illum, Coccejus ait; quodque proin repudiavit
Allinga (λ), & in ejus locum *suspensionem judicii*,
per quam nonnullis tamen imò huic ipsi (μ) ea-
dem dubitatio describitur (ν), substituit. Quan-
quam autem in se vox illa nihil alar improbi,
habet tamen adplicatio aliquid in recessu, quod to-
lerari nequit. Indeque inter formulas Cartesii
haud adeò probandas referimus 1. *Titulum &*
inscriptionem Meditationis primæ, quam de iis a-
gere voluit, quæ in dubium revocari possent. Si
enim cum nigro rubrum hoc conferas, talia
se obferent, de quibus postmodum ipse Cartesi-
us dicit quod ea nemo sanæ mentis negaverit: cur
ergo nunc isti titulo subjiciuntur, qui posse illa
in dubium vocari, præmonet. Quamobrem ob-
jecti-

jectionum quartarum Autor (z) rectissime ait:
*Veruntamen haud scio an aliqua praefatiunculâ hæc
meditatio præmuniri debeat, quâ significetur de iis re-
bus serio non dubitari, sed ut iis aliquantisper sepo-
sitis, quæ vel minimam & hyperbolicam, ut Autor
ipse vocat alio in loco, dubitandi occasionem relinquunt,
aliquid ita firmum & stabile reperiri possit, ut de eo
ne pervicacissimo quidem liceat vel tantillum dubita-
re.* Cui censuræ cum subscripserit quoque Car-
tesius, miror quod eandem reapse non observa-
verit (o). Synopsis enim, quæ præfixa est, formu-
lam, quam nunc improbavimus, parum aut ni-
hil excusat emollit ve (x) Nam & in eâ expressè le-
gò: *in prima (Meditatione) causæ exponuntur, pro-
pter quas de rebus omnibus, præsertim materialibus, pos-
sumus, dubitare &c.* sed num possumus dum i-
pso nos exuere non possumus (p) ? 2. Hæc formula
minus probanda nobis videtur: *serio tandem &
liberè generali mearum opinionum everfioni vacabo.*
Quod si enim & eam adplicare ad subsequentiã
velis, serio datum censebis totum hoc de Deo fictiti-
um esse & s. casu s. continuatâ rerum serie s. quòvis
aliò modò, se ad, id, quod esset, pervenisse, à Cartesio
supponi &c. Quæ aliave tamen sententiarum mon-
stra serio abs se proposita quandoquidem ubivis
ferè negat (r); negare ipsum plausibilius potu-
isse

isse arbitror; si, in hisce formulis sibi temperans,
fuisset cautius locutus. 3. & principaliter eas for-
mulas notamus; quibus ipsissimam de existentia
divinâ dubitationem exprimit. Quorum spe-
ctat modò allegata: *demus totum hoc de deo esse
fictitium*: item *ex principiorum initio*: sic rejicientes
illa omnia, de quò aliquò modo possumus dubitare,
ac etiam falsa esse fingentes; facile quidem supponimus
nullum est Deum, nullum cælum &c. porro ex Epi-
stolarum volumine altero (ψ) hæ: *Negue is peccat,*
qui propter eundem finem (certioris veritatis) totam,
quam de Deo habere potest, cognitionem ex animo
summovet: quantum ad intellectum, quæri non de-
bet, utrum aliquid illi liceat, nec ne, --- sed solum an
possit & multi quidem sunt quorum intellectus de Deo
dubitare potest &c. Certum est, etiamsi fortè re-
liquæ ad sensum quendam molliorem aut melio-
rem reduci valerent, in hisce tamen, meò quidem
judiciò, oleum perdituros atque operam esse, qui
idem attentarent. Quod enim insitum ac inscri-
ptum cordibus nostris, quò dare id, ut fictitium,
quò supponere ut nullum liceret? quò summo-
veri ex animo posset; ac à permultis inter dubia poni;
Absint talia ab accuratâ in philisophando metho-
do! Nihil sit fictitii, nihil dubii de Deo! Exulent
formulae & locutiones illæ! quæ cum *inconcussâ per-*
istud

cum nisi expungantur, verum impetrari absque dubio haud valere, intelligat: *idcirco ad serio philosophandum veritatemque omnium rerum cognoscibilem indagandam, primo, docet, omnia praesudicia deponenda esse (γ). Verum enim vero, licet non contemnenda prorsus sint, quae monet de praesudiciis, quorum abrogatio quam maximè necessaria est: in ipsa tamen eorundem depositione μετὰ λιασίνημα latet, quod illa Methodus, uti extat in Autore, non tantum plurimum captui longè difficillima, ceu ipse hactenus fassus fuit, sed potius per se imitatu impossibilis videatur. Sanè, non exiuntur praesudicia, ut vestes pro arbitrio, sed defixa pertinaciter menti, validisque rationibus illic firmata, non nisi validiorum rationum machinis inde deturbantur: tales verò rationes non sunt, quae à sensuum fallacià, à vigiliarum incertitudine, ac denique à Genii cuiusdam maligni praestigiis deductae sunt (δ) Ne dicam, quod Gassendus objicit (ε), habendo omnia pro falsis, non tam vetus exui, quam novum indui praesudicium.*

(ψ) In primis si ceteras Meditationes conferre placeat, velut vel initium Meditat. II. hujus rei testimonium edisserere potest. (ω) ita vocat sub init. Medit. I. (α) haec paulo aliis verbis in ead. I. Medit. sub init. leges. (β) vid. §. 71. (γ) iterum P. I. Princ. §. 75. (δ) haec habent cuiusdam Anonym. L. W. annotat. in Meditat. Cartes. Amstelod. Anno. 57. excus. p. 3. (ε) obj. V. in Med. I. p. 4.

XI. Ita sine suo excidit Dubitator improvidus; quæ enim ceu laudabilem intenderat, sic paribus i. e. bonis laudabilibusque mediis inquirere debebat. Sed, agite quæ adhibuerit spectentus & utrum bene se gesserit, patebit. Orditur à sensuum fallacià; quibus tanquam non raro decipientibus fidem derogari posse credit. Sic verò habet: fallunt non nunquam sensus, sed mentem non satis circumspectè agentem & de rebus sibi oblati judicantem, circumstantiis non bene perpensis & consideratis. Fallunt, si male affectum sensorium, idque non advertatur, si objectum non discernatur propinquum à re-

moto, agitatam a quiescente, repente oblatum à distinctè per-
 cepto; si medium ab aqua, fumo, nebula, aëre commoto, aliisve hu-
 jus generis turbetur, idq; non observetur (E) Sed his omnibus
 benè constitutis atq; animadversis non fallunt sensus. Sa-
 tis tamen est, regerit, quod fallant semel, cum prudentia
 sit, nunquam illis planè confidere, qui nos vel semel deceperunt
 (H) Sed hac ratione nec erunt iudicii nec memoriae partes
 ullæ in veri inquisitione; nam & illud sæpius malè compo-
 nit ac di vidit, & hæc non rarò reddit res aliter, atq; con-
 credita sunt. Ceterum valet Canon de eò, qui sciens & pru-
 dens me se fellit: tum enim prudentia utiq; erit, illi nunquam
 simpliciter credere in talium rerum narratione, de quarum veri-
 tate inquirere non sit in me à potestate; cum primis si causa,
 ob quam me decipere animum induxit, non fuerit sublata.
 (I). Proinde non crediderim, in dubitando ad omnimo-
 dam sensuum quasi abjectionem procedendum, sed mon-
 strandum fuisse etiam confestim sub initium, ubi & quomo-
 do fallant aut fallatur ubi & quomodo vera exhibeant; pa-
 tuisset nihilofecius ad ulteriorem veræ etiam in sensibus per-
 ceptionis scaturiginem (quam principaliter post negata hæc
 omnia, ex invento aliquo aut cognito ut, vocatur, primo eli-
 cere Cartesius meditatur) satis planus perviusq; aditus. At
 dum omnem confestim fidem denegat è Diametro contra-
 ria Epicuræ affert, quorum pater non aliter res habere ra-
 tus fuit, ac sensibus præsentarentur (i): hoc discrimine ta-
 men intercedente, quod Cartesius sua saltim in exordio Phi-
 losophiæ, per condescensum quendam, uti mentem expli-
 cuit (i); Epicurus verò per omnia, certum aliàs certitudi-
 nis periculum metuens, proponat. Mediū beati tenere.

(L) Velut egregiè hæc observat Auctor ille annot cuius lit. init. L. W. in
 Med. Cartes. p. 4. (H) vid. ipsum Cartes. de prim. Phil. p. 6. (I) Anon.
 Autor. L. W. p. 5. (i) hæc ipse Cartes. refert. in præf. ad interpr. Gall.
 princ. & nota est ex Voss. de sect. Philos. Epicur. Canonice.

Perz

X. Pergit in afferendis rebus dubiis Cartesius, & quandoquidem clarè satis videt, aliqua à sensibus adeò efficaciter offerri ut dubitari de iis non possit, idcirco ad somnia provocat, in quibus paria sæpè conspiciantur, dormientes tamen omninò deludentia. Enim verò, sit, quod Beermannus quoque largitur (κ), fieri aliquò casu, ut minimè advertamus nos dormivisse; quod illis contingere solet, qui in profundis cogitationibus circa res vel expediendas vel expeditas versantur. Quomodo fortè scelerum Rei, dum in carceribus hærent, spectris se agitari credunt, dum animo in scelus suum defixo extra se rapiuntur, & ignari se dormire, imagines somniant, quas revera se vidisse, postea opinantur (λ). Sit, inquam, illud; ideone verò sequetur, vigilantem nòsse non posse an vigilet? Haud, ait aliquoties productus Anonymus (μ) difficilius fuerit vigiliam à somno dignoscere, quàm lucem meridianam à crepusculo --- dormienti id quidem, impossibile videtur, cui ipse sopor discernendi facultatem oppressit, at vigilianti, se non dormire adeò promptum est, agnoscere, ut non nisi protervo, aut mente capto dubium esse queat. Igitur nec ab hâc erat vigiliarum incertitudine alium exigendum, quæ pariter poterat in vestibulo ac sine Meditationum elidi; ubi permagnum inter utrumque (somnia & vigiliam) discrimen advertit ipse Cartesius in eò, quod nunquam insomnia cum reliquis omnibus actionibus vitæ à memoriâ conjungantur, ut ea, quæ vigilianti occurrunt (ν).

(κ) Moral. c. 2. §. II. (λ) sunt verba Ejuisd. Beem. ibid. ubi & Bruti exemplum allegat, atque ex circumstantiis somnium fuisse non verum spectum colligit; quod ipsum tamen in medio relinquitur: qui aliquando tantum talia evenire posse, non negamus (μ) annotat. in Meditat. Cartes. p. 5. (ν) Meditat. VI. p. 4. 6.

XI. Sed somniorum præstigiæ in dubiorum classem cum generalia nequeant communissimaque axiomata trahere (ξ); subjicitur iis vetus quædam opinio de Deo poten

tissimo, qv itales nos creare potuerit ut perpetuo falleremur; Imò datur, qv od supra in formulis jam notatum; totum illud de Deo fictitium (θ). Qv od ex potentiâ DEI summa deductam perpetuarum in nobis fallaciarum potentiam attinet, pugnat hoc qv icquid est rei absq; dubio cum bonitate (π) ejusdem, qv i potentiâ; cum error, ut defectus à veritate deficientem potius qv am efficientem causam, æq; ut peccatum (ρ), agnoscat; unde salva mente tales cujusdam genii delusiones (σ) cuiqv am tribui posse, rectè negat Anonymus, imò, eum qv i id contendat, contradictoriorum arguit. Neqve aliâ ratione excipiendus ille est, à qv o DEI existentia inter dubia recensetur. Qv anqv am enim distinguere hic jubeat Cartesius (τ) inter dubitationem, qv æ finem spectat & qv æ media: illamq; rejiciat; hanc saltem à se probari ad clariorem veritatis cognitionem impetrandam dicat &c. Sciendum tamen, nihil qv od est contra conscientiam, sicut dubitatio de Deo, posse de jure adhiberi ad scientiam acqv irendam; tantum abest, ut inter media necessaria recipi queat (υ). Inde q; præter ipsarum formularum insigne periculum (ϕ), cuj supramentio in jecta, qv oad rem ipsam monemus qv oqve, qv od seculo huic in omnem improbitatem alias præcipiti, pestilentius esse haud quidqv am posset, qv am indulgere non tantum, sed & sub titulo accuratæ methodi in Philosophando requirere, ut de Deo ejusqve existentia, tamen si ad tempus tantum, dubitetur. Quantus erit eorum numerus qv i hõc Labyrintho, quem temerè ingressi sunt, egredi nolent? quantus eorum qv i exire non poterunt (χ)? Ipsi Cartesio novem anni effluerunt, anteqv am de ulla ex his qv æstionibus, qv æ apud eruditos in controversiam adduci solent, determinatè judicari ausus fuerit (ψ). Qv id fiet, qv ærit (ω) DN. D. Alberti, stupidioribus ingeniis? scilicet, qv od noctua, si cum Aquilâ comparetur,

Uc

(E) Ut sunt naturæ corporea in communi, &c. item axiomata communissima. vid. Meditat. p. 7. (o) Medit. modo cit. pag. (π) Ipse enim Cartes. ibid. excipit: *At forte noluit Deus, me ita ita decipere.* Contra quæ quidem verba, aliqua, sed præter rem, excipit. (p) vid. Dn. D. Scherz. Syst. L. 7. §. 4. (o) legantur annot. in Medit. Cartes. p. 5. (τ) Epist. X. vol. 2. (v) Dn. D. Alb. Diss. de Cartes. c. 2. §. 3. (φ) quod proin ipsè tantopere declinare conatur imò ejus affectu quoq; inter quos Allinga præcipue evolvatur loco superius citato (ψ) ceu fatetur dissert. de Meth. p. m. 26. (ω) c. in his allegat. l.

XII. Et hæc de rebus quoque, quas eò perductas esse dubitationis hujus autor censet, ut cogatur fateri, nihil esse ex iis, quæ olim vera putaverit, de quò non liceat dubitare, idq; non per inconsiderantiam vel levitatem, sed propter validas & meditata rationes, ideòq; etiam ab iisdem non minus, quàm ab apertè falsis accuratè deinceps assensionem esse cobibendam, siquid certi velit invenire (α) At bene est non abnegare ipsum (β), semet quod fallat, aliàs idem ei non immeritò objiceretur. Ceterum nihil agit, dum à periculo aut errore se eximit, quod cognoscendis tantùm rebus incumbat. Nec enim in his hære ipsi, uti hæsit, licuit, nec abest à nimia diffidentia, qui nec manus, nec oculos sibi adesse, concipit; ceu Gassendi in Objection. quint. prolixè monstrat (γ).

(α) Ita loquitur. Medit. 1. p. 7. 8. an convenient hæc cum verbis illis; satis erit, si aliquam rationem dubitandi &c. p. 5. judicet B. L. (β) ead. Med. 1. p. 8. Non malè, inquit opinor, agam, si me ipsum fallam. (γ) vid. illas obj. à p. 5.

XII. Possent plura congeri; nisi ad vela contrahenda tempus instigaret, cujus penuriæ, quod multa non attigerimus huic rei affinia, Benignus Lector adscribat. Nequè enim per illam promissio etiam nostro ritè stare possumus: de iis, quæ veram dubitationem delineant, hic exponendis. Cum tamen vel tribus me id facturū promiserim, sunt tria, in quibus contineri veræ dubitationis ratio dicatur. Primum ad objectum respicit; cujus intuitu non ad omnia qualiter cunq; extendenda est dubitatio, sed ad talia, quæ per argumenta utriusque
sic

sic satis fortia, certè probabilia in utramq; partē flectere men-
 tem valent (D); secundum de forma & modo sollicitum; est; qui
 in decenti ratiociniorum utriusqve partis collatione absqve
 præcipitatâ tamen ad alterutram conclusionem propensione
 consistit (E). Tertium circa finem terminumqve ritè acqui-
 rendum laborat, qui veritas indubitata est (Z) quam sicut,
 communi cum aliis scopo, recte intendit Cartesius, ita in priori-
 bus duobus suam operam erudito orbi minus adprobavit, quia
 limites veros non observavit; de quibus cum abruptum
 h. l. sit, in speciali quâdam dissertatione, Deo dante, specia-
 lius acturi sumus. Jam ad Cartesiana sola, & quæ in iis no-
 tanda erat, utrumqve oculus direximus; det Deus T. O. ut
 indubitata ejus Gloria omnibus piè agnoscat & colatur;
 nosqve inter ipsa dubia veram semper & tutissimam viam
 ingrediamur! sit ejus bonitati

L. E. G. I. Æ.

(9) vid. disp. supra allegat. sub Dn. Donati Præs. hab. de dubitat. §. 8
 sub fin. (E) conf. Becm. Moral. c. 3 §. 17. ubi observati. doctos idè plus
 dubitare, quam vulgus, quia magis advertant rerum singularum diffi-
 cultates. (Z) potest idem disci ex iis, quæ supra §. 3. docta sunt.

C O R O L L A R I A.

- I. Meretur monstri titulum Henr: Mori sententia, quæ animas nostras, imò ipsos An-
 gelos statuit esse spiritus eò modo, quò anima brutorum & formæ seminales omnes ta-
 les disci possunt. vid. Dn. D. Alberti C. 7. N. c. 2. §. 10.
- II. Mendacium, ceu vocant, jocosum & officiosum, quatenus sunt media non inhon-
 sta jubandi proximum sine detrimento tertii, inter moraliter mala non recensenda.
 vid. iterum Dn. D. Alberti. c. 1. c. 6. §. 21.

Πολυγοναμία Patriarcharum licita minus rectè in Patrocinium Polygamia N. T.
 à Theoph. Aleth. allegatur.

CARTE SII dubii dubiosa refellere Puncta
 Haud dubitas, dubia hæc Gaudia CERTA ferant,
 Omen inest dubiis (reor) haud dubitabile vestris;
 Sit Comes indubiis iudubitatus honos.

Ita Clariss. Dn. Respondenti de Dubitat. Cartesiana
 disputaturo ominari voluit

FRANCISCUS WOLFIUS, Theol. D.
 & P. P. Pastor ad ædem D. Mariæ.

TAxa nōdo multos *Cartes* taxatur & ipse,
Errat pompose dum dubiosa docet.
Errat dum dubitare jubet de Numine summo;
Et reliquis veris, siccine Crimen habet?
Sic est; mi Lehment, rectè mala carpis in isto.
Fertilis & faustus sit labor ipse Tibi.

Cum voto candido vera felicit.

posuit

JOHANNES BARNSTORFF. J. U. D.

Q*ui sapit, haud facile Doctorum dogmata carpit,
Ni sibi sit Dubium, quod fiet hocce strophæ.
Hinc veniunt scrupuli doctrinæ Philosophorum,
Absit ne dubites, vivere & esse Deum.
Id quod dum doctè monstrat Lehmentius, in quo
Subsistat dubium, quàm bene cedit opus!*

In honorem Doctissimi Dn. Respond. amica.
m. & m. scripsit

ALBERTUS WILLEBRANDT, J. U. D.

*Ad Præstantissimum Dn. JOACHIMUM LEHMENT
domesticum per dilectum.*

ENmagnum video! doctum sapientia fallit,
Ambigit & sapiens rebus in haud dubiis;
Ingenio *Cartes* gaudet doctâ arte polito,
Attamen haud doctè hoc utitur ingenio.
Audit Philosophus, qui vera docere laborat,
Et tamen in veris hæret in ambiguo.
Ut vigeat verum, junctim per vota precamur;
Fac verum teneas, optima quando probas.

JOHANNES JOACHIMUS. *Tielcke*
J. U. Licent.


CARTESII dubitantis opus perpendis, Amice,
Namque Bonæ haud dubiè sunt Tibi mentis opes,
prolixiori affectu, quàm versu inter plurimanegotia ser.
PRÆSES.

Weil selbst Descartes Mund in Schriften offte betennet/
Daß an der Wahrheit selbst auch noch zu zweiffeln sey/
So ist mit gleichen Rechte, GEEHÖRZE EUCH/ vergönnet
Zu zweiffeln/ ob sein Spruch sey alles Zweifels frey.
Auf Schuldigkeit gegen den Herrn PRÆSIDEM und Freund/
schaffe mit den Herrn RESPOND. setze dieses
M. Samuel Friedrich Rappolt.

Weil des DesCartes Erg auch offtmahls Schlacken führet/
So zeigt sein kluger Kopff ihr dessen Fehler an/
Und wo was Irriges bey selben Er verspühret/
Damit ein Jeder sich vor solchen hüten kan.
Wie aber dieser Fleiß und sonderlich Bemühen
Die beste Probe ist der wohlgebrauchten Zeit;
So wünsche das sein Glück Ihm auch bald möge blühen/
Damit vor seinen Schweiß er wieder wird erfreut.
Dieses setze glückwünschend
JOH. GEORG Weydenkopff/ Rostoch.

Wie recht mag jezund woll RENAT des CARTES hören/
Das er vermischer hat in seinen neuen Lehren
Das Gute und das Böß; ich tadle nicht den Zweck/
Nur sag ich/ das Er auch verfehlet den rechten Weg
Recht thut Er/ wehrter Freund/ daß er anjzo weiſet
Worin der Fehler ist/ und nicht in allen preiset
Des CARTES Zweifel-art: ich Wünsch ihm hierzu Glück/
Das es Ihm Ruh und Ruhm bring' ohn des Neiders-Tück.
Mit diesen Geringschätigen wollte auf treuen Herzen seinen
hochgeehrten und sehr geneigten Freund beehren
JOACHIM. OTTO, Bernav. March.

Recht so/ geehrter Freund/ so muß man es erweisen/
Was ungesparter Fleiß/ durch Eis/ durch Stahl und Eisen/
Durch Widerwertigkeit/ durch Noht und Unglück bricht/
Er zeigtet wie man recht der Zweifelung entrinnet/
Weil man durch Zweifelung verzweifeln nur gewinnt/
Und das die Wahrheit schein in einen andern Lichte.
Ich Wünsche ferner Glück/ zu allen seinen Wercken/
Der Himmel lasse nichts als Freuden-blicke mercken/
Bis unser Vaterland ihm selbst die Loorbern stiche.
Also wünschte seinem wehrtesten Herru Landsmann
J. H. HINTZE.



T Axando multos *Cartes* ta
Errat pompose dum du
Errat dum dubitare jubet de
Et reliquis veris, siccin
Sic est; mi Lehment, rectè mal
Fertilis & faustus fit

JOH

Q Vi sapit, haud facile Doct
Ni sibi sit Dubium, quo
Hinc veniunt scrupuli doctrin
Absit ne dubites, vivere &
Id quod dum doctè monstrat Leh
Subsistat dubium, quàm be
In honorem D


ALBERTUS

Ad Praestantissimum DN.
domesticum

E N magnum video! doctur
Ambigit & sapiens rebu
Ingenio *Cartes* gaudet doctà
Attamen haud doctè hoc ut
Audit Philosophus, qui vera d
Et tamen in veris hæret in
Ut vigeat verum, junctim per
Fac verum teneas, optima q

JOH

C ARTESII dubitantis opus
Namque Bonæ hauddu
prolixiori affectu



mmo;
bet?
to.
ibi.
vera felicit.
posuit
NSTORFF. J. U.D.

ta carpit,
trophæ.
rum,

quo

Respond.amica.

RANDT, J.U.D.

LEHMENT

allie,
biis;

nur;
as.

CHIMUS. Tielcke
Licent.

amice,
imentis opes,
plurimanegotia scr.
PRÆSES.